



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.40. Ecclesia Salisburgensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.

A. C. 1265.

§. XL.

*Ecclesia Salisburgensis.**Sup. lib. 34.
p. 48.*

Eccliam Salisburgensem per octo annos turbabat seditio Archiepiscopi Philippi, qui quanquam an. 1257. a Papa exauthoratus, armorum vi se tuebatur, successorem suum Udalricum ab ad-eunda possessione impediens. Post sex annorum bellum Collegium Salisburgense, quia Udalricus ipse se defendere non poterat, per interpositionem Bohemice Regis, & Carinthiæ Ducis de pace cum

*Canif. to. 6.
p. 1267.*

Philippo egit an. 1261. & anno sequente Udalricum ex Italia reducem Episcopus Scyllacensis proscripsit, quem Papa cum eo miserat Ecclesiam Salisburgensem in ordinem redigendi gratia. Anathematis per totam dioecesim denunciati causa fuit, quod Udalricus pecuniam Romanæ curiæ promissam non penderet. Philippus An. 1263. Salisburgo pulsus, & Udalricus anno proximo eam urbem ingressus est. At postquam ibi quatuor menses duxerat, ob impatientem disciplinæ populum se auctoritatem suam tuendo imparem videns, præterquam quod provecæ jam ætatis esset, urbe relicta Romanam in Aulam abdicationem suam

suam misit, cujus effectum Papæ Urbani obitus suspendit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1265.

Interea sedem Passaviensem vacuum reddidit 10. Aprilis An. 1265. decedens de vita Episcopus Otto, piissimus Præsul, ac verus Cleri sui pater, minime belli sed pacis amans, & qui Ecclesiæ suæ magna comparavit bona. In ejus successorem Canonici postularunt Uladislauum Poloniae Ducem, id est, ex horum Principum familia ortum, Ecclesiæ Visegradanæ Præpositum, Papamque, ut postulationem haberet ratam, orarunt. Clemens, qui multum boni de Uladislao dici audierat, quid subesset, experiendi cupidus, eum ad se vocavit: & merita viri agnoscens Sedi Salisburgensi aptiorem censuit, de qua sicut de Passaviensi voluerat ipse statuere. Illam proin Uladislao, hanc Petro Uratislaviensi Canonico, qui ejus præceptor fuerat, assignavit. Diploma utrique mense Novembri an. 1265. misit. Salisburgum anno sequente ambo delati honorifice ibi excepti sunt. Sed Archiepiscopus anno demum 1267. die Pentecostes consecratus triennio post morti occubuit.

Stero. 1265.
to II. Conc.
p. 833.